GRAMMATICORUM GRAECORUM
DE
CONIUNCTIONIBUS DOCTRINA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
GRYPHICA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA
HONORES
RITE ADIPISCENDOS
DIE XXIV. MENS. NOVEMBR. ANNI MDCCCXLVII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS FRIDERICUS JAHN,
MARCHICUS.

OPPONENTIBUS:
P. IMANDT.
R. JAENISCH.
W. AHLWARDT.

GRYPHIAE
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ERUDITISSIMO AMPLISSIMO

G. F. SCHOEMANN

PRAECEPTORI OPTIMO

FAUTORI SUMMOPERE COLENDO.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Constat inter omnes, doctrinam de partibus orationis sive, ut quibusdam placuit, de linguae categoriis, quum sit ante haec duo millia annorum ab ingeniosissimis viris inchoata multorumque hominum labore et industria promota et amplificata, nequaquam tamen ne nostris quidem temporibus ad eam perfectionem absolutionemque perductam esse, ut, quicunque in hac arte elaborarent, eorum omnium una vox esset eademque consentiens. Cujus rei caussas accuratius pervestigantem illud fugere non poterit, qui hanc sibi litterarum partem pertractandam sumpserint, eos haud dubie minus, quam par erat, quum ad universae grammaticae historiam, tum ad grammaticos Graecos, utpote quorum doctrina ipsius artis integerrimam partem etiamnunc contineat, studia sua dirigenda putasse. Quamobrem supervacaneum non videtur, et ad universae artis grammaticae historiam cognoscendam et ad penitus percipiendam de partibus orationis doctrinam, si quis grammaticorum veterum de hac disciplina doctrinam accurate et distincte explicaverit. Atque ex toto hoc argumento illum nobis de conjunctionbius locum pertractandum sumpsimus. Sed quod in quavis litterarum disciplina devios quosdam et infrequentes locos re-

periri constat, qui, quum paullo longius absint ab iis partibus, quibus vitalis artium spiritus et quasi nervi contineantur, eam ob caussam et delectent minus et rarius suos sibi alliciant cultores: hoc de nostro potissimum argumento dici posse omnes consentient, qui vel obiter in hacce sint litterarum parte versati. Liceret, opinor, de hac grammaticae disciplinae parte accuratius judicare, si Apollonii περὶ μερισμοῦ τῶν τοῦ λόγου μερῶν βιβλία τέσσαρα aut ipsa etiamnunc exstarent, aut certe aliunde cognoscerentur, quam ex flosculis sine judicio saepe tum a Prisciano carptis tum a magistris Byzantinis congestis, quorum ex inopiae cornu scholia illa ad Dionysii Thracis grammaticam conflata sunt: liceret mihi ipsi, ut ingenue fatear, subtilius de hac re disputare, si Apollonii doctrinam tanquam in succum et sanguinem, ut ajunt, convertere jam nunc mihi contigisset. Nemo enim facile in hac litterarum parte ultra vulgus sapiat, nisi qui assiduo ac diuturno studio praestantissimum hujus viri ingenium admirari didicerit, in universam ejus doctrinam punitus sese abdiderit eamque sibi vindicaverit tanquam instrumentum. Quae quum ita sint, in hoc potissimum argumento disputatio mea versabitur, ut, quae dispersa jaceant apud grammaticos testimonia de conjunctionum doctrina, diligenter colligam, atque, quantum id fieri liceat laceris ex reliquiis, ex ipsorum grammaticorum mente accurate exponam.

Qua in re versanti, primum haud ita parvi momenti haec quaestio mihi visa est, conjunctiones

illas, quas nunc proprie vocamus, quis primus ex oratione eruisset atque a diversis verborum generibus distinxisset, qui ex subsequentium grammaticorum numero in definienda earum vi ac natura versati essent, qui denique in amplificanda et promovenda hac doctrina elaborassent studiaque sua posuissent. Sicuti enim ceterarum artium, ita hujus grammaticae elementa, quae nunc quidem plerisque levissima et vix ludimagistrorum studiis digna videri solent, neque facile initio erant ad inveniendum, et postquam tandem aliquando magnorum virorum ingeniis nonnulla inventa erant, tamen in augendo eorum numero doctissimi illa aetate homines per longum tempus elaboraverunt. Historia igitur conjunctionum enarrata, omnem hanc doctrinam ex more veteribus grammaticis perquam solenni, ita pertractare instituti, ut

primum de definitione exponerem, a veteribus proposita,
deinde de partitione conjunctionum,
de singulis denique speciebus dicerem.

Cap. I.

Historia conjunctionum.

Circumspicientibus nobis, quid quum in universa linguae disciplina exornanda, tum in constituendis partibus orationis a veteribus effectum sit, ultra Platonis et Aristotelis tempora regredi vix ac ne vix quidem liceat. Primus enim Plato ex ingenti ver-

borum numero, quibus homines ad exprimendas sententias rerumque notiones, animis insitas, significandas utuntur, duas praecipue partes orationis segregavit ac sejunxit, ὄνομα et ῥῆμα; reliqua vero omnia, quae, genere diversa, ex harum partium consortio removenda sibi viderentur, tamquam minus gravia neglexit nec studio suo digna judicavit. Platonem secutus est Aristoteles, qui eodem modo, ac divinus praeceptor, tamquam partes orationis ὄνομα et ῥῆμα constituit, quibus, utpote τοῖς ἐμψυχοτάτοις μέρεσι τοῦ λόγου, solis oonfici oratio posset; quae vero minus necessaria essent ad conficiendam perfectam enuntiationem neque ita frequenter in usum venirent, tamquam rudem indigestamque molem συνδέσμου aut ἄρθρου vel etiam uno συνδέσμου et ἄρθρου nomine comprehendit. Sed quamquam haec nomina in Aristotelis scriptis compluribus locis inveniuntur, qui omnes congesti sunt a Lerschio in libro: die Sprachphilosophie der Alten, p. II. §. 14. sqq., atque ex iis ipsis Aristotelem apparet his partibus orationis etiam eas voces adnumerasse, quae a posterioribus proprio ac peculiari nomine conjunctiones sunt appellatae, sicuti v. c. τέ et καὶ, μὲν et δέ: unus tamen artis poeticae locus (cp. 20.), quo et συνδέσμου et ἄρθρου definitionem diserte et accurate proponere conatus est Aristoteles (?), tam misere corruptus necdum ulla interpretum ope persanatus est, ut, quonam modo utrumque genus distinxerit philosophus ille, quamve propriam earum naturam esse statuerit, difficile sit ad affirmandum.

Cf. Lersch. l. l. I. §. 15. et II. §. 267. Classen de gramm. graec. primordiis §. 56. Geppert, die sprachlichen Kategorien p. 14. Quod autem Dionysius Hal. et Quinctilianus tradit, Aristotelem praeter *ὀνόματα* et *ῥήματα* non duas orationis partes, *σύνδεσμον* et *ἄρθρον*, sed unam tantummodo constituisse, id facile nos in eam adducere possit opinionem, ut apud eum *συνδέσμων* nomen latiore quodam sensu etiam *ἄρθρα* comprehendisse ac complexum esse, angustiore autem eas, quae proprie vocantur, conjunctiones et, ni fallor, praepositiones significasse putemus [1]). Quam suspicionem non tam vanam esse, quam initio videri possit, neque Dionysii testimonium tam calide sperni oportere, quam a R. Schmidio (de Stoicorum grammatica p. 37.) fortasse minus caute factum sit, facile intelligi poterit, si caussam illam, ob quam *ἄρθρων* nomen huic parti orationis a veteribus tributum sit, accurate cognitam habemus. Ἄρθρα enim non ideo a grammaticis hoc nomine appellata sunt, quod generibus potissimum distinguendis inserviant, — id quod errore decepti nonnulli opinati sunt, — sed quod orationis membra inter se vinciunt ad instar eorum, qui in corpore articuli sunt membrorumque juncturam efficiunt. Quod quidem probari jam ex Apoll. de pronom. cp. 11. potest. „Τὸ ἄρθρον" (non eo sensu,

---

*) Dionys. Hal. de comp. verb II. 12. *ταῦτα δέ* (sc. *τά τοῦ λόγου μόρια*) *καὶ Θεοδέκτης μὲν καὶ Ἀριστοτέλης καὶ ὁ κατ' ἐκείνου φιλοσοφήσαντες τούς χρόνους ἄρχι τριῶν προήγαγον, ὄνομα καὶ ῥήματα καὶ συνδέσμους πρῶτα μερη λέξεως ποιοῦντες.* Ibid de Dem. praest. c. 48. Quinct. I. 4, 17 et 18.

quo vulgo grammatici usurpant) „διχῶς νοεῖται — ἤτε γὰρ συμβολὴ τῶν κώλων, ἐν ᾧ φαμὲν ἔξαρθρον, καὶ αὐτὸ τὸ κῶλον κτλ.“ Propter τὴν συμβολὴν igitur τῶν κώλων proprie ita nominati sunt articuli. Cf. Prisc. XVII. 8, 52. Tom. II. p. 36. Krehl. Qui igitur ob hanc significationis similitudinem articulos cum conjunctionibus comprehensos, in unam partem orationis conjunxerint, fortasse unam συνδέσμων partem in duas rursus species, unam πτωτικήν, alteram ἄπτωτον diviserint.

Invento igitur ab Aristotele vel a Theodecte συνδέσμων nomine, quamquam latissimo sensu acceptum est multasque orationis partes, genere diversas ob eamque caussam discernendas inter se, in unum comprehendit, fundamentum tamen solidioris doctrinae jactum est, quo nixi posteriores grammatici accuratius in hujus partis orationis vim atque naturam inquirerent. Cujus rei initium factum a Stoicis est. Nam postquam Peripatetici arti grammaticae nullum fere decus attulerunt, neque, quod sciamus, summi magistri vestigia excesserunt, Stoicorum principes, Zeno et Cleanthes in grammaticis studiis haud mediocrem diligentiam collocarunt. Qui quidem quum non, ut antecedentes philosophi, passim tantummodo et quasi praetereuntes quasdam de lingua quaestiones tangerent, sed primi universam hanc disciplinam per se ipsam tractandam sibi sumerent, mirum videri non oportet, eos in conjunctionibus praecipue haud ita parvam curam posuisse; quoniam omnibus liquet, quod jam Plutarchus obser-

vavit, τοὺς διαλεκτικοὺς μάλιστα συνδέσμων δεῖσθαι πρὸς τὰς τῶν ἀξιωμάτων συναφὰς καὶ διαζεύξεις. (Quaest. Platon. X. p. 1011. A.) Et sane Posidonium Stoicum constat peculiari scriptione hanc partem illustrandam sibi sumpsisse. (Apoll. Dysc. de conj. 480. B. Quo loco Apollonius quum sese non plane abhorrere ab Stoicorum doctrina dicat ex eaque haud pauca in suam disputationem transtulisse affirmet, eorum in exponenda conjunctionum natura industriam maximis laudibus effert. Hi igitur, ut Dionysius de comp. verb. II., 20 tradit, οἱ δέ μετ᾽ αὐτοὺς ('Αριστοτέλην sc. καὶ Θεοδέκτην) γενόμενοι καὶ μάλιστα οἱ τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως ἡγεμόνες ἕως τετάρτων προὐβίβασαν, χωρίσαντες ἀπὸ τῶν συνδέσμων τὰ ἄρθρα", articulos a conjunctionibus disjunxerunt et tamquam diversas inter se partes orationis constituerunt. Recte enim casualem orationis partem, quae orationi copulandae convinciendaeque inservit, (ἄρθρα) ab ea, quae, quamvis simili vi instructa, casibus tamen caret, (συνδέσμοις) secreverunt. Ve-umtamen Stoici τὰς προθέσεις in conjunctionum numero retinuerunt. Iuncturae enim partium orationis efficiendae quum non solum conjunctiones, quas nunc proprie dicimus, verum eae etiam partes, quas προθέσεις grammatici Graeci, itemque nos, secuti veteres, praepositiones vocamus, inservire Stoicis viderentur, has quoque συνδέσμων notione complexi sunt, προθετικῶν συνδέσμων, praepositivarum conjunctionum, vel, ut quibusdam placuit, συνδεσμοειδῶν μορίων nomine eas insignantes. Cf. Apoll. de conj. 480. B.

de const. IV., 1, (305. B.) ibid. IV., 5. (319. B.) Prisc. III, 4, Krehl. — Cujus rei caussam postea videbimus.

Alexandrini grammatici, quum permulta, quae ad promovendam artem grammaticam a philosophis tradita erant, minus probarent, omninoque hanc artem a Peripateticis Stoicisque plane imperfectam ac vix nascentem relictam esse viderent, quum permultis aliis verborum speciebus, a philosophis uno nomine comprehensis, propriam apella, tionem tribuerunt, tum praepositiones a conjunctionum societate divellerunt. Cujus rei qui auctor fuerit, utrum Aristarchus, grammaticorum facile princeps, an Zenodotus vel Aristophanes, aetate illo majores, pro certo affirmare non licet; quamquam Aristarchum multum in perscrutanda praepositionum natura versatum esse ex eo conjicere licet, quod scholia ad Iliadem saepenumero ad ejus de propositionibus quaestiones amandant. Cf. Graefenhan, Geschichte der classischen Philologie I., p. 467. Lersch. l. l. II., p. 60. Sed Alexandrini grammatici quamquam optime de arte grammatica meriti laudemque nacti sunt paene immortalem, in describenda tamen conjunctionum doctrina minus diligenter versati, eam posteris parum excultam tradiderunt. Tryphonem tantummodo Analogeticum, qui secundum Suidam *κατα τους Αὐγούστου χρόνους καὶ πρότερον* vixit, singulare *περὶ συνδέσμων* scriptum composuisse Apollonius memorat (de conj. 496. B.), cujus tamen nihil, nisi fragmenta ab Apollonio citata, reliqua habemus. In universum

autem Aristarchei Dionysii*) grammatica tanquam fundamento hujus nostrae disputationis utendum erit, quae, ut in reliquis partibus orationis, ita in hac περὶ συνδέσμων doctrina tam diurturna ac perpetua auctoritate floruit, ut omnis Byzantiorum turba, quidquid in grammatica saperet, prolegomenis, scholiis, appendicibus variis adjectis, illuc referret. Sed prae Theodosiorum et Choeroboscorum obscura et inepta plerumque sedulitate in hac quoque grammaticae parte Apollonius Dyscolus excelluit, cujus perpauca monumenta, ac ne haec quidem integra omnia, ad nostram aetatem duraverunt.

Cap. II.

De definitione conjunctionum.

Incipiendum in hac disputationis parte a Stoicis videtur, quippe qui viam Alexandrinis grammaticis ad meliorem rectioremque cognitionem praemunierint. Hi igitur, ut Diogenes Laërtius VII. 58. testatur, conjunctionum vim ac naturam ita definiverunt. „Σύνδεσμός ἐστι μέρος λόγου ἄπτωτον συνδοῦν τὰ μέρη τοῦ λόγου.“ Nam Stoicorum hanc definitionem esse, ex Theodosii Alexandrini grammatica (p. 17. ed. Goettl.) apparet. Primum igitur proprium conjunctionum ac peculiare statuerunt, ut non declinentur

---

*) Aristarcheum Dionysium Thracem apellandum esse, contra Goettlingium luculenter exposuit Schoemannus in praef. ad lectt. Gryph. a. 1833.

per singulos casus aut inflectantur: deinde vero hanc iis vim innatam esse putarunt, ut partibus orationis copulandis convinciendisque inserviant. Quam quidem definitionem tam vagam tamque incertis finibus circumscriptam esse videmus, ut, casualibus orationis partibus a conjunctionum societate remotis, complures tamen partes comprehensae in unam conjiciantur, praepositionesque cum conjunctionibus, quas nunc proprie ita vocamus, consocientur. Quid autem Stoicos ad consociationem hanc adduxerit, et Apollonii loco, qui exstat in libro de conjunctionibus p. 480 B. conjunctura assequi possimus. Quum enim Posidonius ille, quem jam ante in constituenda συνδέσμων doctrina diligenter versatum esse memoraveramus, sententiam suam de hisce partibus a grammaticis infectatam atque inpugnatam, variis argumentis confirmasset, Apollonius huic Stoicorum sententiae contrariam doctrinam tueri conatus est. Atque fuisse hujus argumentationis via, quantum ex lacunosis verbis judicare licet, haec videtur. Ἵνα particula τοπικὸν est ἐπίῤῥημα in his: „ἵνα τ᾽ ἔτραφεν ἠδ᾽ ἐγένοντο,“ sed σύνδεσμος quoque in Homerico illo: „ἵνα εἴδομεν ἄμφω.“ Eodem modo ὄφρα particula in his: „ὄφρα μὲν ἠὼς ἦν,“ χρονικὸν ἐπίῤῥημα est; in his autem verbis: „ὄφρα πεποίθῃς,“ σύνδεσμος αἰτολογικός. (Quae enim de his particulis disputat Apollonius, Posidonius quoque vera esse statuit, ob eamque caussam Stoicum suo sibi gladio jugulatum iri summus grammaticus putat.). Sicuti autem, inquit Apollonius, hae particulae, quamvis

externa quidem forma unae eaedemque sint, propter significationis tamen, quae in iis est, diversitatem genere inter se diversae sunt judicandae: ita ἐπὶ quoque et ἀπὸ praepositiones, quotiescunque cum verbis conjunctae leguntur, ut ἐπιδοῦναι vel ἀποδοῦναι, σύνδεσμοι ὁμοφωνοῦντες tantummodo προθέσεσιν appellandae sunt; non autem propter hanc cum verbis compositionem, in qua forma quidem externa eadem est, συνδέσμους haberi τὰς προθέσεις oportet. Analogiam igitur quandam, qua praepositiones cum ἵνα et ὄφρα particulis componuntur, secuti, Stoici in conjunctionum numero ponendas praepositiones putaverunt. Aliud autem hujus doctrinae argumentum hoc attulerunt. Dicebant enim, haud raro praepositiones eodem modo eademque significationis vi cum conjunctionibus usurpari; idem enim esse „εἰ δεινὰ δέδρακας," quod „ἀνθ' ὧν δεινὰ δέδρακας," et „εἰ ἡμέρα ἐστί, φῶς ἐστὶ" eodem modo dictum esse, quo „διὰ τὸ ἡμέραν εἶναι φῶς ἐστίν." Sed objicit Posidonii disputationi Apollonius, non omni ex parte (οὐδὲ κατὰ τὸ παντελές) neque plane eodem modo praepositiones conjunctionum locum obtinere posse. In priore enim illo exemplo articulum postpositivum (ὧν) accedere praepositioni; in posteriore autem non solum articulum accedere, sed etiam pro modo indicativo infinitivum positum esse. Hactenus Apollonius. Reliqua enim omnia, quae contra Posidonium disputantur, tam misere corrupta et dilacerata sunt, ut nihil ex iis colligi possit. Cf. Apoll. de synt. IV. 1. p. p. 305. B.

Sed minime credibile est, caussas has, ab Apollonio memoratas, tam graves Stoicis visas esse, ut ad defendendam doctrinam iis acquiescerent. Sunt enim illae tam externae atque ab intima harum vocum natura tam remotae, ut probari iis nihil omnino possit. Aliam igitur probabiliorem rationem, si Stoicos ab infirmae parumque aptis argumentis stabilitae doctrinae criminatione defendere volemus, eorum fuisse demonstrandum erit. Et sane haud difficilis est ad inveniendum. Quum enim praepositiones eam vim habeant, ut rationem quandam, inter duas res intercedentem, significent, et necesse sit, ut, ad quam rem ratio illa pertineat, ea expresse et definite pronuncietnr: in eam sententiam Stoici inducti sunt, ut πᾶσαν πρόϑεσιν καϑ' ἑαυτὴν οὐδὲν δηλοῦν dicerent. Cf. schol. ad Dionys. 927, 16. Priscian. XIV, 2, 11 p. 588. P. Quod idem quum de συνδέσμοις constaret atque a multis receptum esset, Stoici praepositiones quoque συνδέσμους apellaverunt.

In grammaticorum Alexandrinorum, qui de conjunctionum vi ac natura disseruerunt, numero normam quandam et regulam praebuisse Dionysius Thrax videtur; qui hanc conjunctionum definitionem proponit. „Σύνδεσμός ἐστι λέξις συνδέουσα διάνοιαν μετὰ τάξεως καὶ τὸ τῆς ἑρμηνείας κεχηνὸς πληροῦσα.“ Duplicem igitur vim grammaticus ille conjunctionibus tribuit, unam, ut copulent connectantque sententiam, alteram, ut elocutionis lacunas vel orationis rimas expleant. Ut primum de posteriore hujus de-

finitionis parte videamus, Diomedes in scholiis ad Dion. Thr. 954, 8. B. eam ita explicat, ut „τὸ τῆς ἑρμηνείας κεχηνὸς πληροῦν“ idem esse ac τοὺς διαλελυμένους λόγους εἰς ἓν συνάγειν dicat. „Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ κεχηνός, τοὺς μήπω ὑπὸ ζυγὸν τινα ἤτοι σύνδεσμον [καὶ τάξιν] ὄντας λόγους ὑπὸ ῥύθμιον εὔτακτον ἄγουσα.“ Cf. Theod. Alex. p. 87, 15 ed. Goettl. Sed si recta atque accommodata esset Diomedis interpretatio, posterior definitionis Dionysianae pars otiosum esset additamentum, eandemque contineret sententiam, quam priore jam expressam legimus. Immo vero quod Dionysius dicit τὸ τῆς ἑρμηνείας κεχηνὸς conjunctiones explere, hoc non ad universum conjunctionum genus pertinere vult, sed ad eam tantummodo speciem, quae proprie a grammaticis παραπληρωματικῶν nomine vocata est. Cujus quidem rei documentum ex Tryphonis Analogetici definitione repetere licet, cujus partem aliquam a Apollonio in libro de conj. p. 515. B. servatam habemus. Hic enim, quamquam in universum Dionysium in definienda conjunctionum natura secutus videtur, in extrema tamen circumscriptionis parte hoc ab eo recessit, ut, additis verbis „ἔστιν ὅπου,“ hanc elocutionis hiatus explendi facultatem certae alicui et definitae conjunctionum speciei attribueret. „Παρὰ τοῖς πλείστοις ἐστὶ πρόληψις, ὡς οἱ καλούμενοι παραπληρωματικοὶ σημασίαν τινὰ οὐ ποιοῦνται· ὁ γοῦν Τρύφων ἐν τῷ ὅρῳ βουλόμενος καὶ αὐτοὺς ἐμπεριλαβεῖν, φησὶ καὶ τὸ κεχηνὸς τῆς ἑρμηνείας ἔστιν ὅπου παραπληρῶν.“ Sed omittamus posteriorem Dionysianae

definitionis partem, quippe quae ad singularem quandam conjunctionum speciem pertineat, de qua accuratius disputandi postea nobis locus erit.

Ad priorem igitur definitionis partem revertentibus nobis, scholiasta ad Dion. Th. p. 952, 7 B., reprehensa Dionysii definitione, aliam hanc proponit: „Σύνδεσμός ἐστι μέρος λόγου ἄκλιτον, συνδετικὸν τῶν τοῦ λόγου μερῶν, οἷς καὶ συσσημαίνει, ἢ τάξιν ἢ δύναμιν παριστῶν." Quae emendatio quum ad priorem tantummodo Dionysianae definitionis partem pertineat, posteriorem nequaquam attingat, magnopere cavendum est, ne τοὺς παραπληρωματικοὺς συνδέσμους segregandos esse a consortio conjunctionum, novae huius atque emendatae definitionis auctorem existimasse putemus. Nemo ením ex veterum grammaticorum numero erat, qui huic orationis parti, quam nunc proprie particulas vocamus, συνδέσμων nomen tribuendum esse negaret. Auctorem autem hujus definitionis Apollonium Dyscolum esse, quum vel ex simillimo orationis colore, quo summus ille grammaticus utitur, tum praecipue ex Prisciani testimonio apparet, qui lib. XVI. p. 1025. Putsch. Graecam nostram definitionem ita latine reddidit, ut verba ex verbis expressisse eum luce clarius sit. Quo accedit, quod Priscianum constat „in exponenda de partibus orationis doctrina Apollonii auctoritatem secutum esse," „incongruumque putasse summi illius viri vestigia linquere." Cf. Prisc. XVII. init. p. 1035. P. XV. p. 973. P. et permultis aliis locis.

Sed paullo accuratius nunc in hujus definitionis

naturam inquiramus. Primum igitur proprium *συνδέσμων* judicavit Apollonius, ut indeclinabiles sint neque per casus inflecti possint (*μέρος λόγου ἄκλιτον* vel *ἄπτωτον.*). Tum vero *συνδετικὸν τῶν τοῦ λόγου μερῶν τὸν σύνδεσμον* statuit; ab hac enim orationis conviciendae et copulandae vi conjunctionum nomen esse repetendum. Cf. schol. ad Dion. Th. p. 952, 4 B.*). Addidit denique haec: „*οἷς καὶ συσσημαίνει ἢ τάξιν ἢ δύναμιν παριστῶν.*" Quod ab Aristotele aliisque philosophis dictum erat, conjunctiones nihil omnino significare, id jam a Stoicis erat impugnatum, qui contrariam tuiti sunt sententiam. Cf. Apoll. de conj. p. 480. B. Quos secuti veteres grammatici, dum conjunctiones adnumerandas esse *ταῖς ἀσήμοις λέξεσιν* negaverunt, aliam partium orationis differentiam, si minus in grammaticam ipsam introducendam, at constituendam tamen putarunt. Apollonius enim, elementa dictionis (*τὰ στοιχεῖα τῆς λέξεως*) sive litteras cum partibus orationis comparans, alias orationis partes cum vocalibus, alias cum consonantibus confert; sicuti enim vocales solas per se efficere

---

*) Haec est ea definitionis Graecae pars, quam, omissis omnibus fere aliis rebus, una cum ordinandi vi, ex Graecorum circumscriptione in suam de conjunctionibus doctrinam transtulerunt grammatici Latini. Omnis enim eorum turba praeter unum Priscianum una voce iisdemque fere verbis conjunctionem eam appellat partem orationis, quae copulat ordinatque sententiam. Cf. Donatum, II, 15, 1. ed. Lind. Maximum Victorinum § 23. p. 282. Asperum 10, 315. Charisium, II, 15, 1. Diomedem I, 92, 6. Analect. Gramm. p. 22. et 365.

sonum, consonantes, nisi cum vocalibus conjunctas, non posse pronuntiari: ita dictionum quoque alias solas per se dici posse, alias non posse. Cf. de synt. I, 2. Quod quum ita veteribus videretur, *ταῖς συσσημαινούσαις λέξεσιν* annumerabant conjunctiones; quum ad instar consonantium per se solae pronuntiari non possent, sed, conjunctae tantummodo cum aliis partibus orationis, suam propriam vim ac naturam proferrent. Apoll. de conj. 488, 20 B. „*οἱ σύνδεσμοι συσσημαίνουσι, κατ' ἰδίαν οὐ ῥητοί.*" Idem de adv. 553. B. Cf. Theod. gramm. 20, 10 ed. Goettl. Schol. ad Dionys. 958, 13 B.

Superest, ut ad extremam definitionis partem disputatio transeat. Haec vero non *τάξιν* solum, verum etiam *δύναμιν* demonstrare conjunctiones indicat. Sed, ut de *τάξει* prius dicam, vocabant eam veteres grammatici compositionem quandam duarum enuntiationum, quarum una conditionem vel hypotheticam sententiam, altera vero consequentiam prioris membri conditionalis indicaret: id quod in enuntiationibus plerumque fieri solet. Cf. Schol. ad Dion. 953, 1. „*οἷον ὁ εἴ σύνταξιν μὲν δηλοῖ, οἷον εἰ περιπατήσω, κινηθήσομαι, (ἀκολουθία γάρ τίς ἐστιν ἡγουμένου πρὸς ἑπόμενον.)*" Eodem modo Priscianus „Ordinem," inquit, „quando consequentiam aliquarum demonstrat rerum, ut, si ambulat, movetur." l. XII. 1025 Putsch. Sed ceteros Latinos grammaticos si inspexeris, omnes vel inscitia vel alia re commotos, ideo conjunctionibus ordinem tribuisse invenias, quod aliae in principio orationis ponerentur, aliae

in principio orationis ponerentur, aliae subjungerentur, aliae et praeponerentur et subjungerentur; id quod ad veram intimamque conjunctionum naturam omnino non pertinere, facile quisque intelligit. Cf. Maxim. Victor. 23. p. 283. Lind. Asperum, X. 315.

Sed quid sibi volunt veteres grammatici, quum conjunctiones δύναμιν demonstrare dicunt? Est hoc sane et propter grammaticorum obscuritatem et propter sententiarum diversitatem difficile ad dijudicandum. In hoc quidem plerique consentiunt, idem sibi velle δύναμιν vocem, quod ὕπαρξιν vocabulum. Vide de hac re schol. ad Dion. 925, 25. „δύναμις γὰρ ἡ ὕπαρξις." et p. 956, 22. „καὶ τὴν δύναμιν ὅ ἐστι τὴν ὕπαρξιν." Cf. 952, 25 et 953, 6. Sed, mutato nomine, quid lucri est? Exempla igitur videamus. Dicit scholiasta (952, 24), δύναμιν παριστάναι τὸν σύνδεσμον in his verbis: „καὶ περιπατῶ;" enim si καὶ particula addita sit, essentiam rei demonstrari. Et alio loco (952, 12.), „Vide," inquit, „differatne τὸ περιπατῶ a τῷ καὶ περιπατῶ; si enim dico „καὶ περιπατῶ," rem pono; ad ordinem vero nihil pertinet, si „καὶ περιπατῶ καὶ κινοῦμαι καὶ ἀναγιγνώσκω" dico*). Sed his exemplis nihil omnino probari, facili quisque intelligit. Tantum enim

*) Hoc vel simili aliquo exemplo, a Graecis proposito, commotus esse Priscianus videtur, ut vim conjunctiones tum demonstrare diceret, quando simul res aliquas esse significarent, ut „et pius et fortis fuit Aeneas." Ex quo apparet, eum sine judicio persaepe Graecorum verba Latine reddidisse parumque perspectam eorum doctrinam habuisse.

abest, ut καὶ particula semper essentiam rei, ut ita Graecorum ὕπαρξιν vertam, ut iis quoque praeponi possit, quae revera omnino non sint. Verisimillimum autem mihi videtur, qui sub δυνάμει τὴν ὕπαρξιν intelligerent, quid auctor cum additamento illo sibi voluisset, neque recte percepisse et falso interpretatos esse. Cohaeret enim omnis haec quaestio cum veterum de conjunctivo modo doctrina, de qua infra accuratius disputabimus. Nunc hoc unum afferam. Placuit veteribus, imprimis Apollonio, conjunctivum modum per se ipsum perfectum sensum et absolutum efficere non posse, sed ex additarum conjunctionum vi ac natura certam quandam et definitam significationem accipere. Conjunctiones igitur tum δύναμιν demonstrare videbantur, quum, conjunctae cum verbis, actionem eam, quam verbis contineri constat, vel revera esse vel cogitatam tantummodo vel cum asseveratione quadam vel cum dubitatione pronuntiatam esse indicarent. Quod conjicere ex scholiastae loco licet, ubi haec exstant: „Συσσημαίνει δὲ τὴν δύναμιν οὕτω· γράφω ὁρισμός· ἐὰν γράφω δισταγμός· ἵνα γράφω ἀποτελεσμός· ὅτι γράφω αἰτιολογία· καὶ γράφω βεβαίωσις·“ ad Dionys. 952, 20. B. At haec significationis diversitas vel etiam modalitas in omnibus his exemplis non conjunctionibus, sed modis verborum efficitur. Haud dubie. Sed referre veterum doctrinam, non impugnare tempus est.

Jam vero in definienda conjunctionum natura qui meliora docuerit vel accuratius versatus sit, ex

magno grammaticorum numero inveniri nemo poterit. Sicuti enim in omnibus aliis artis grammaticae partibus Aristarchei Dionysii grammatica tamquam norma ac regula usi sunt posteriores grammatici, ad quam studia sua dirigerent: ita in constituenda ac describenda conjunctionum vi atque natura duae illae definitionis Dionysianae partes, adjecta illa in scholiis notata emendatione, principem semper locum obtinuisse videntur.

Cap. III.

De partitione conjunctionum.

Constat ex iis, quae primo capite a me disputata sunt, Stoicorum sectam in firmanda et amplificanda arte grammatica magnopere prae ceteris philosophis excelluisse. Operosam enim quandam in dispertiendis ἀξιωμάτων sive enuntiatorum generibus curam consumpserunt; eaque, etsi neque in Graecorum neque in Latinorum grammaticorum studiis certa vel auctoritatis vel utilitatis vestigia reliquerunt, in describendis tamen conjunctionum generibus haud ita parvi momenti fuerunt. Sicuti enim in universum Stoici nova verba invenerunt, quo placita et ipsi accuratius et distinctius exponerent et ab aliis melius rectiusque perciperentur: ita permultis conjunctionum speciebus propria tribuerunt nomina, ab ἀξιώμασι deprompta, eaque postea in Alexandrinorum doctrinam transierunt. Quorum ἀξιωμάτων

genera multa cognoscere ex Diocle apud Diogenem Laërtium, VII, 68. licet: quo loco etiam eae conjunctiones, quae ad quodque enuntiationum genus pertinent, enumeratae exstant. Sed universam Stoicorum de partitione conjunctionum doctrinam in permagna et enuntiatorum diversitate et appellationum varietate hodie quidem difficile est exponere.

Transcamus igitur ad Alexandrinos grammaticos. Dionysius Thrax octo constituit conjunctionum species. „Τῶν δὲ συνδέσμων," inquit „οἱ μέν εἰσι συμπλεκτικοί, οἱ δὲ διαζευκτικοί, οἱ δὲ συναπτικοί, οἱ δὲ παρασυναπτικοί, οἱ δὲ αἰτιολογικοί, οἱ δὲ ἀπορηματικοί, οἱ δὲ συλλογιστικοί, οἱ δὲ παραπληρωματικοί." Anecd. Bekk. p. 642. Hac autem a Dionysio instituta partitione non contenti, alii grammatici, quum et Dionysii partes in suas quasque species distribuerent, et novas omnino adderent, plures constituerunt conjunctionum species. Quarum maxima pars quum ea enumeratione contineatur, cujus auctorem Apollonium Dyscolum fuisse docebimus, hanc potissimum in exponenda conjunctionum doctrina sequi instituimus. Reliquae enim omnes species, quae Apollonii partitione non comprehenduntur, ita comparatae sunt, ut aut ab una aliqua conjunctione depromptae ideoque in grammaticorum doctrinam non sint receptae, aut novam tantummodo appellationem speciebus ab aliis jam notatis addant. Cujus rei ut exempla afferam, notat scholiasta ad Iliadem ή, 401. ἐπιτακτικὸν σύνδεσμον, quod nomen δὲ particulae tribuit, si pro γὰρ particula legitur.

Eodem modo μὲν particulam ἀκολουθικὴν nonnulli et δὲ μεταβατικὴν vocant. Cf. schol. ad Dion. 958, 11 et 15. Quae nomina tanquam minoris momenti facile praetermitti possunt.

Apollonii Dyscoli conjunctionum partitionem, quamquam ex ipsis scriptorum reliquiis colligi non potest, servata tamen a Prisciano habemus, qui a ceteris grammaticis de sua gente*) recedens, in hac grammaticae parte Apollonii auctoritatem est secutus. Dionysianae enim partitionis numero duplicato, Priscianus septemdecim constituit conjunctionum species, copulativas, continuativas, subcontinuativas, adjunctivas, causales, effectivas, approbativas, disjunctivas, subdisjunctivas, disertivas, ablativas, praesumptivas, adversativas, abnegativas, collectivas vel rationales, dubitativas, completivas. Enumeratae autem hae a Prisciano classes, si quaerimus, quomodo sint vel ab Apollonio vel ab alio grammatico Graeco appellatae, plerisque quidem quod nomen sit attributum, facile est ad inveniendum; tres autem

*) Latini grammatici praeter unum Priscianum omnes in quinque species conjunctiones dividunt, copulativas, disjunctivas, expletivas, causales, rationales. Donatus, II. 15, 1. Diomed. p. 92, 6. Maxim. Victor §. 23, p. 283. Lind. Prob. p. 1425 Putsch. Ab his omnibus unus dissentit Charisius, qui lib II, 15, 4 p. 134. Lind., quamquam initio easdem illas, quas superiores, habet, postea tamen Palaemonem, ut videtur, secutus, nonnullas alias species enumerat, quae memorabiles videntur. Sunt autem hae: copulativae, causales, ratiocinativae, dubitandi, disjungendi, admonendi et petendi, relativae ad aliquid, repletivae, optativae, subjunctivae.

aliquam praebent difficultatem, ablativae, abnegativae, praesumptivae.

Primum igitur in ablativas et abnegativas conjunctiones accuratius inquirendum est. Lerschius, quum in libro: die Sprachphilosophie der Alten, II, 140, de divisione conjunctionum ab Apollonio facta disserit, abnegativas Graece vertit ἀρνητικοὺς συνδέσμους; apposuit tamen interrogationis signum, ut eum de hac re dubitasse appareat. Sed neque ἀρνητικῶν nomen de conjunctionibus usurpatum unquam invenimus, et Priscianum accuratius si inspicimus, in describendis abnegativis conjunctionibus non de negatione loquentem, sed de ἀναιρέσει videbimus. Cf. XVI, 2, 11. p. 642. Krehl. Dicit enim, abnegativas esse apud Graecos κὲν et ἂν particulas, quae, cum verbis conjunctae, posse fieri rem ostendunt, sed propter caussam aliquam, ne fiat, impediri. Ubinam autem Priscianus de negatione sive ἀρνήσει loquitur? Atqui constat, κὲν et ἂν particulas a grammaticis veteribus nunquam ἀρνητικοὺς συνδέσμους, sed ἀναιρετικοὺς sive δυνητικοὺς esse apellatas. Cf. de hac re, quae infra memorabimus. Huc accedit, quod Priscianus, quum, quid cujusque speciei proprium sit, definiat, ablativarum mentionem omnino nullam facit neque definitionem proponit. Quae quum ita sint, Priscianum errasse apparet, quum ablativas et abnegativas tanquam duas inter se diversas species constitueret; et quas abnegativas conjunctiones vocat, eas cum ablativis in una specie ponendas et Graeco vocabulo ἀναιρετικοὺς συνδέσμους esse appellandas.

Restat tertia conjunctionum praesumptivarum species, quae in veterum grammaticorum scriptis, quae quidem servata sunt, nusquam reperitur. Lerschius l. l. προληπτικοὺς eas graece vertit, apposito, ut antea, interrogationis signo. Sed ubicunque vel προληπτικῶς adverbium vel προληπτικὸς adjectivum apud grammaticos inveniuntur, semper alio sensu adhibentur neque usquam de conjunctionum specie usurpantur. Neque vero ex Prisciano quidquam conjicere licet, quum in definienda uniuscujusque speciei natura eas omnino non commemoret. Propter testimoniorum igitur inopiam res in ambiguo relinquenda videtur.

Una igitur abnegativarum conjunctionum specie Prisciani enumerationi detracta, sedecim restant species, quae cum Graecorum partitione ita componendae sunt, ut

1.	copulativis	συμπλεκτικοί,
2.	continuativis	συναπτικοί,
3.	subcontinuativis	παρασυναπτικοί,
4.	adjunctivis	ἐπιζευτικοί,
5.	causalibus	αἰτιολογικοὶ,
6.	effectivis	ἀποτελεστικοί,
7.	approbativis	βεβαιωτικοί,
8.	disjunctivis	διαζευκτικοί,
9.	subdisjunctivis	παραδιαζευκτικοί,
10.	disertivis	διασαφητικοί,
11.	praesumptivis	?
12.	adversativis	ἐναντιωματικοί,
13.	ablativis	ἀναιρετικοί,

14.	collectivis vel rationalibus	συναϑροιστικοὶ vel συλλογιστικοί,
15.	dubitativis	διαπορητικοί,
16.	completivis	παραπληρωματικοὶ

respondeant.

Cap. IV.

De singularum specierum vi ac natura, deque conjunctionibus, quae iis adnumeratae sunt a veteribus.

Ex via ac ratione, quam veteres in describenda quum omnium partium orationis tum conjunctionum doctrina sequi solebant, consentaneum videtur, exposita specierum numero, quid uniuscujusque speciei proprium sit, definitione circumscribere atque exprimere. Cui quidem rei utilius magisque accomodatum sit, relicta Dionysii Thracis partitione, Apollonii distributionem sequi, quae in secernendis speciebus subtilius et accuratius versetur. Verumtamen tantum abest, ut Dionysii auctoritatem plane omittamus, ut, quidquid ad explanandam uniuscujusque speciei naturam afferat, non praetermittamus.

1.

De copulativis conjunctionibus.

Dionysius in grammatica (p. 642, 27 B.) ita has conjunctiones definit: „ὅσοι τὴν ἑρμηνείαν ἐπ' ἄπειρον

ἐκφερομένην συνδέουσιν.“ Iisdem fere verbis Diomedes, grammaticus Theodosio et Choerobosco recentior, ex eorum secta, qui nihilo nisi Dionysium sequendo ejusque grammaticam commentando et interpretando pollebant, in explicanda harum conjunctionum natura utitur. „Κατ᾽ ἐξοχὴν οὖν ἐπὶ τῶν μάλιστα καὶ ἐπὶ ἄπειρον τὴν ἔννοιαν συνδεούντων τοῦτο τὸ ὄνομα τέτακται.“ Bekk. Anecd. p. 957, 20. Accensentur autem huic speciei μέν, δέ, τέ, καί, ἀλλά, ἠμέν, ἠδέ, τάρ, αὐτάρ ἤτοι, quibus scholiasta κὲν et ἂν particulas addit, quas alii speciei rectius attributas esse ab aliis infra videbimus. Ex quibus conjunctionibus duae quidem peculiari nomine appellatae sunt. Grammatici enim, quum μὲν particulam in priore enuntiatione positam semper excipi solere a δὲ particula viderent, ob illam ἐπακολουθίαν μὲν proprie ἀκολουθικὸν vocarunt. Simili ratione δὲ particulam μεταβατικὴν nonnulli appellaverunt; „ἀπὸ προσώπου enim εἰς πρόσωπον ἢ ἀπὸ πράγματος εἰς πρᾶγμα μεταβαίνοντες αὐτῷ κέχρηνται πάντες. cf. schol. ad Dionys. p. 958, 11 et 15 et p. 959, 27. B.

2.

De continuativis conjunctionibus.

Placuit veteribus grammaticis, copulativas quidem conjunctiones nihil nisi res re vera esse demonstrare rationemque, quae est inter conjuncta orationis membra, plane negligere; continuativas autem non existentiam, ut ita dicam, rerum, sed consecu-

tionem dictionis rationemque aliquam inter duas enuntiationes intercedentem indicare. In copulativis enim nihil interest, utrumne dicam „καὶ περιπατῶ καὶ νοῶ,“ an, immutato ordine, „καὶ νοῶ καὶ περιπατῶ;“ in continuativis autem fieri nullo modo potest, ut verba „εἰ περιπατήσω, κινηθήσομαι“ permutentur hoc modo: „εἰ κινηθήσομαι, περιπατήσω;“ sublata enim ea, quam continuativarum proprium est significare, enuntiationum consecutione, perversa exsistat et falsa sententia necesse est.

Omnes igitur eos συνδέσμους huic speciei adnumerabant, „ὅσοι οὐ παριστῶσι μὲν τὴν δύναμιν τοῦ πράγματος, ἀκολουθίαν δὲ φράσεως καὶ τάξιν φυλάττουσιν.“ cf. schol. ad Dionys. p. 964, 10. p. 965, 1. Unde factum est, ut εἰ particulam proprie continuativam appellarent; eique addit Dionysius compositas cum εἰ conjunctiones, εἴπερ, εἰ δὴ, εἰδήπερ. Accedunt quoquo ἦ καὶ particulae, si pro εἰ ponuntur, ut in Homerico illo:

οὐδ᾽ ἀφαμαρτοεπής, ἦ καὶ γένει ὕστερος ἦεν.

Cf. schol. ad Il. ά, 219.

3.

De subcontinuativis conjunctionibus.

Παρασυναπτικοὺς veteribus omnes eos συνδέσμους appellare placuit, „ὅσοι μεθ᾽ ὑπάρξεως καὶ τάξιν δηλοῦσιν.“ Cf. Dionys. p. 643, 2. B. Vide etiam Apollonium in libro de conjunctionibus p. 501, 4. B. „Τοιοῦτον γάρ ἐστι τὸ νοούμενον ἐν τοῖς παρασυναπτι-

κοῖς· εἰ τὸ πρότερον ἀληθές, καὶ τὸ δεύτερον· τὸ δεύτερον, ὅτι καὶ τὸ πρῶτον." Quod idem Stoicos jam de hac conjunctionum specie statuisse, ex Diogene Laërtio apparet. (lib. XII. p. 12.) Proprie igitur ἐπεὶ particula subcontinuativa est; sed fuerunt quoque, qui eam cum causalibus consociarent. Cf. Apoll. de conj. p. 501, 5. B. Addit Dionysius compositas hasce particulas, ἐπείπερ, ἐπειδή et ἐπειδήπερ.

4.

De adjunctivis conjunctionibus.

Priscianus, Graecorum imitator, definitionem hanc nobis proponit: „Adjunctivae sunt, quae verbis sunbjunctivis adjunguntur, ut si, dum, quatenus, quando ἵνα Graece significat." Cujus definitionis Apollonium auctorem esse, ea quae apud ipsum in libro illo de syntaxi conscripto dispersa de his particulis inveniuntur, satis confirmant. Proprium enim adjunctivarum esse videtur, ut rem aliquam futuram cum dubitatione quadam indicent. „Δισταγμὸν γὰρ τῶν ὡς ἐσομένων πραγμάτων παριστᾶσιν." (de synt. III, §. 30. p. 272 B.) Et ibidem lib. III, §. 30. p. 273 B.: „Οὗτοι γὰρ οἱ σύνδεσμοι τὸ ὡς ἐσόμενον σημαίνουσι;" et alio loco, „Σαφὲς γάρ," inquit, „ὅτι τὸ ἐὰν γράφω καὶ τὰ τούτοις ὅμοια δισταγμὸν τοῦ ὡς ἐσομένου πράγματος σημαίνει." (p. 265. B.). Quamobrem quum hae conjunctiones rei futurae dubitationem (δισταγμὸν τοῦ ὡς ἐσομένου) indicare viderentur, illud ex Apollonii doctrina con-

sequi necesse erat, ut cum verbis dubitativis vel subjunctivis (ῥήμασι διστακτικοῖς vel ὑποτακτικοῖς) conjungerentur. Quare Apollonius in libro de syntaxi, lib. IV. §. 1. „Ἐπὶ δὲ ῥημάτων," inquit, „τὰ καλούμενα ὑποτακτικὰ ῥήματα οὔποτε χωρὶς ὑποταγῆς ἐστι τῆς τάξεως τῶν ἐπιζευκτικῶν συνδέσμων." Quod quomodo ab summo illo grammatico dici potuerit, ut perspicuum fiat, doctrinam ejus de modo conjunctivo, quantum ex reliquiis fieri potest, paucis exponere necesse videtur. Placuit enim Apollonio ceterisque grammaticis, et indicativum modum et optativum suam quemque propriam continere significationem; ὁρισμὸν indicare indicativum, optativum εὐχωλήν, ob eamque caussam nomina eos accepisse ὁριστικῆς et εὐκτικῆς ἐγκλίσεως. Longe autem aliter de conjunctivo statuerunt. Huic enim dixerunt propriam significationem nullam omnino inesse, sed semper conjunctionem aliquam additam esse, per quam certa aliqua vis et significatio ei attribueretur. In maximo hoc errore versans, Apollonius (de synt. III, § 28. p. 265 B.) „Νυνὶ δέ," inquit, „οὐδέποτε ἐμόνασε (sc. ὑποτακτική) ἐκτὸς συνδέσμου καὶ οὕτως ἄδηλον ἔσχε τὸ σημαινόμενον, καὶ διὰ τοῦτο αὐτὸ οὐκ ἔχουσα ἰδίᾳ δηλούμενον, παρεδέξατο ἐκ δυνάμεως τοῦ συνδέσμου τὴν τοῦ ὀνόματος θέσιν εἰληφέναι." Et paullo post: „Καλῶς γὰρ ὑποτακτικὴ ὠνομάσθη, ἐκ τοῦ μὴ συνίστασθαι αὐτήν, εἰ μὴ ὑποταγείη τοῖς ὑποκειμένοις συνδέσμοις. Cf. Georg. Choerob. schol. ap. Bekk. p. 1277. Prisc. VIII. p. 821. Putsch. Quum igitur conjunctivus modus perfectum sensum et absolutum per se efficere non posset, ex additarum con-

junctionum vi ac natura certam eum et definitam significationem accipere necesse erat. Sed quoniam tria essent conjunctionum genera, quae, ut Apollonii verbis utar, αἴτια γίγνεται τῆς ἐννοίας τῆς ὑποτακτικῆς ἐγκλίσεως, adjunctivarum, perfectivarum, causalium, tripliciter a veteribus nominatus est conjunctivus, διστακτική, ἀποτελεστική, αἰτιολογικὴ ἔγκλισις Cf. Apoll. de synt. III, 28. p. 266. B. et schol. ad Dion. p. 884, 23 B. Atque ex his conjunctionibus, quae et ipsae rei futurae dubitationem indicent, et conjunctivo eam vim addant, ut eundem hunc dubitationis sensum exprimat, eae ab Apollonio ἐπιζευκτικαὶ vocatae sunt.

Caeterum ex definitione a Prisciano proposita apparet, adnumerasse veteres adjunctivis ἐάν, ὅταν, ἵνα ἄν (quatenus), ἕως ἄν et alias hujusmodi particulas, quae, cum conjunctivo modo conjunctae, cum dubitatione quadam (ut veteres quidem opinati sunt) rem proferrent.

5.

De causalibus conjunctionibus.

Causales apud Dionysium sunt, „ὅσοι ἐπ' ἀποδόσει αἰτίας παραλαμβάνονται· εἴσι δὲ οἴδε· ἵνα, ὄφρα, ὅπως, ἕνεκα, οὕνεκα, ὅτε, διό, διότι, καθό, καθότι, καθόσον.“ Quarum conjunctionum a consortio Apollonius adjunctivas et perfectivas removet, easque, quas proprie αἰτιολογικὰς vocat, ita definiendo circumscribit: „Οἱ αἰτιολογικοὶ σύνδεσμοι καὶ ἀκολουθίας εἰσι πάλιν δεκτικοὶ καὶ [ὑπάρ] ξεως, ὡς καὶ σχε-

δὸν τοῖς παρασυναπτικοῖς οἱ αὐτοί“ [εἰσὶν add.] de conj. p. 501, 1. B. et de synt. III. §. 19. p. 245. B. Quamobrem permulti ἐπεὶ conjunctionem subcontinuativam in causalium numero posuerunt; quamquam inter has species a nonnullis hoc statutum esse discrimen Apollonius docet, ut causales a vi et significatione nomen acceperint, subcontinuativae autem ita vocatae sint, quod continuatione quadam (κατὰ συνάφειαν) orationis membra conjungerent. „Καί τινές φασιν, ὡς οἱ μὲν αἰτιολογικοὶ σύνδεσμοι ..... ἀπὸ τοῦ δηλουμένου τὴν ὀνομασίαν ἔσχον, οἱ δὲ παρασυναπτικοὶ ἀπὸ τῆς φωνῆς, ἐπεὶ κατὰ συνάφειαν τὸ ἐπιφερόμενον αἰτοῦσιν.“ Sed in hoc discrimine paullo obscuriore subsistit Apollonius. Videntur autem illi causales esse hae conjunctiones: ὅτι, οὕνεκα, ἕνεκεν, γάρ, διότι, χάριν, ἵνα, ὄφρα, ὅπως. Qua in re id offensionem habet, quod Apollonius, quamvis effectivas ex causalium consortio excluderet, tamen ἵνα, ὄφρα, ὅπως particulas in causalium numero poneret. Sed affirmavit, in ἵνα et similibus particulis duas significationes inesse, unam causalem, alteram finalem; causalem vero tum inesse statuit, quum ἵνα particula cum conjunctiva ita conjungeretur, ut ὑποτακτικὴ ἔγκλισις, sicuti cum adjunctivis διστακτική, ita cum ἵνα causali αἰτιολογικὴ vocaretur. „Ἰδοὺ καὶ κατ᾽ αἰτιολογικὴν σύνταξιν (sc. τὰ ῥήματα ὑποτακτικὰ φέρεται), ἡνίκα φαμὲν „ἵνα ἀναστῶ ἠνιάθη Τρυφῶν.“ De synt. III, 28. p. 266. B. Quibus verbis statim addit: „Ἐν ἴσῳ γάρ ἐστι τὸ „ἵνα φιλολογήσω παρεγενήθη Τρύφων“ τῷ „διότι ἐφιλολόγησα, παρεγενήθη Τρύφων.“

Ab aliis grammaticis etiam pronominum formas causalibus conjunctionibus annumeratas invenimus. Ita τῷ ab scholiasta ad Il. α', 299 causale vocatur in Homeri versu Odyss. XIII, 351.

τῷ σε καὶ οὐ δύναμαι.

Eodem modo ῇ pro conjunctione causali sumitur ab scholiasta ad Il. ν', 33. In illo enim Homerico

τῇ ἴμεν, ῇ κεν δὴ σὺ κελαινεφές κτλ.

ῇ pro ὅτι dictum esse opinatus est.

6.

De effectivis conjunctionibus.

Breviores in exponenda effectivarum vi ac natura esse possumus, utpote quarum usus arctissime cum adjunctivis cohaerere veteribus visus sit. Sicuti enim adjunctivae eam vim continent, ut conjunctivo modo dubitationem addunt; ita effectivae verba conjunctiva ita afficiunt, ut consilii vel eventus notionem contineant. „Νυνὶ δὲ καὶ οἱ καλούμενοι ἀποτελεστικοὶ ἐπὶ τὴν αὐτὴν σύνταξιν (sc. τοῖς ἐπιζευκτικοῖς) φέρονται, ἡνίκα φαμὲν „Τρύφων περιπατεῖ, ἵνα ὑγιάνῃ“ ἢ „δὸς τὸν χάρτην ἵνα γράφω,“ καί τοι μᾶλλον ἀποτελεστικὰ ὀφείλει καλεῖσθαι τὰ ῥήματα ἢ διστακτικά.“ Apoll. de synt. III. 28. p. 266. B. et p. 272. B.

7.

De approbativis conjunctionibus.

Duobus locis hanc speciem apud veteres memoratas inveni. Primum scholiasta ad Dion. p. 964, 2. B. ῆ particulam βεβαιωτικὴν vocat in his:

ἦ μὰν αὖτ᾽ ἀγορῇ νικᾷς, γέρον, υἷας Ἀχαιῶν.

Tum vero Apollonius in libro de synt. III, §. 19. p. 245 διαβεβαιωτικοὺς συνδέσμους memorans, eos nisi cum indicativo non conjungi docet. „Ἔνθεν γὰρ οἱ καλούμενοι διαβεβαιωτικοὶ σύνδεσμοι καὶ ἔτι αἰτιολογικοὶ συντείνουσιν ἐπὶ ὁριστικήν.“ Ponendae autem ex Prisciani definitione in hac specie videntur ἦ, μήν et aliae similes particulae.

8.

De disjunctivis conjunctionibus.

Frequentissima est apud veteres ἀπορία, quomodo fieri possit, ut disjunctivae conjunctionum nomine appellentur; disjungendo enim orationem repugnare eos communi omnium conjunctionum naturae. Quam quidem quaestionem ita solvendam sibi putarunt, ut, quamvis hae conjunctiones res ac sententias disjungerent, hoc tamen iis commune cum omnibus conjunctionibus esse dicerent, ut orationis membra inter se connecterent et copularent. Cf. schol. ad Dion. p. 963, 5. B. Quare Dionysius ita eas describit: „ὅσοι τὴν μὲν φράσιν ἐπισυνδέουσιν, ἀπὸ δὲ πράγματος εἰς πρᾶγμα διιστῶσιν.“ Accuratius Appollonius „Καὶ ἡ ἐπαγγελία,“ inquit, „αὐτῶν ἑνὸς μὲν ὕπαρξιν ἐπαγγέλλεται, τοῦ δὲ ὑπολειπομένου ἀναίρεσιν.“ Cf. de conj. p. 482, 20 B. schol. ad Dion. p, 963, 6. Prisc. XVI, p. 640 Krehl. Sed quum et per se perspicua sit harum conjunctionum natura, et permulta de iis disputet Apollonius in libro de conjunctionibus, operae pretium non videtur, plura de iis disserere.

9.

De subdisjunctivis conjunctionibus.

Παραδιαζευκτικὴν veteribus ἢ particulam tum vocare placuit, quum non, ut antea, duas res ita inter se opponit, ut altera tollatur, sed ex duabus vel pluribus rebus unam nobis eligendam praebet. Recte igitur ἢ subdisjunctiva particula cum latina vel potest comparari. „Οἱ παραδιαζευκτικοὶ ἔχοντες μὲν τοῦ διαζευκτικοῦ τὸ ἓν παραλαμβάνειν, ἔχοντες δὲ καὶ τοῦ συμπλεκτικοῦ τὸ ἓν καὶ ἕτερα." Cf. Apoll. de conj. p. 486, 21 B. et Prisc. lib. XVI p. 641 Krehl.

10.

De disertivis conjunctionibus.

Restat, ut tertiam significandi rationem, quam ἢ particulae inesse veteres statuerunt, commemoremus. Διασαφητικὴν enim eam appellarunt, quum ad exprimendam comparationem quandam eodem modo quo Latinorum quam adhibebatur. „Disertivae vel electivae sunt, quando diversis propositis aliquid ex iis eligere ostendimus, ut „dives volo esse, quam pauper." Prisc. l. XVI p. 1030 Putsch. Vide etiam scholiastam ad Il. α', 177: „Ἢ διασαφητικός ἐστιν ἀντὶ τοῦ ἤπερ, ὡς τὸ

πάντες κ' ἀρησαίατ' ἐλαφρότεροι πόδας εἶναι
ἢ ἀφνειότεροι χρυσοῖό τε ἐσθῆτός τε.

Cf. Apoll. de conj. p. 489, 20. 13. Stoici hanc particulam, hoc sensu quum adhibebatur, ἐλεγκτικὴν

vocaverunt, ut ex Epimerism. Hom. p. 188 sqq. apparet.

11.

De praesumptivis conjunctionibus.

Vide de his quae capite tertio diximus.

12.

De adversativis conjunctionibus.

Priscianus (lib. XVI, p. 1030. Putsch.) de his ita disserit: „Adversativae sunt, quae adversum convenienti significant, ut tamen, quamquam, quamvis, etsi, etiamsi, saltem“ Sed quantum ex Dionysio ejusque scholiastis judicare licet, a Graecis quidem in earum numero positas tantummodo ἔμπης et ὅμως particulas fuisse videmus, easque adverbiis quoque adnumerari posse, jam a veteribus notatum est. cf. Apoll. de adverb. p. 564. B. et schol. ad Dionys. p. 972, 32. B. Additur etiam πὲρ particula, a ceteris grammaticis expletivis adnumerata, ab scholiasta ad Il. ϑ′, 125.

13.

De ablativis conjunctionibus.

„Abnegativae“ (ablativae potius, ut supra ostendimus) „sunt apud Graecos κὲν et ἄν, quae verbis conjunctae posse fieri rem ostendunt, sed propter caussam aliquam, ne fiat, impediri.“ Haec Prisci-

anus. Quocum consentiunt grammatici Graeci. Illae enim particulae quum conjungantur interdum cum temporibus praeteritis, excepto uno perfecto, cum iisque conjunctae eam vim habeant, ut rem factam esse negent eamque fieri potuisse demonstrent; ob hunc singularem usum veteres eas *ἀναιρετικὰς*, ni fallor, appellant. „*Τὰ γεγονότα τῶν πραγμάτων ὁ ἄν σύνδεσμος ἀναιρεῖν θέλει, περιιστάνων αὐτὰ εἰς τὸ δύνασθαι· τὸ μὲν γὰρ ἔγραψα ἢ τὸ ἔγραφον ἢ τὸ ἐγεγράφειν ἢ ἀπὸ μέρους γεγονότα ἐστὶν ἢ καὶ ἔκπαλαι γεγονότα. ἔνθεν προσέρχεται τοῖς δυναμένοις τὴν ὕλην αὐτοῦ παραδέξασθαι· ἔγραφον ἄν, ἔγραψα ἄν, ἐγεγράφειν ἄν, οὐ μὴν τῷ γράφω ἢ γράψω· οὐ γὰρ παρῴχηται, ἵν' ἐγχωρήσῃ καὶ ἐκ τοῦ συνδέσμου ἀναίρεσις μὲν ποῦ γεγονότος, ἐπαγγελία δὲ τοῦ ἐσομένου.*“ Apoll. de synt. III, 6. p. 205. B. Cf. schol. ad Dionys. p. 972, 25. Sed quum non solum rem factam esse negent (*ἀναίρεσις*), sed etiam res fieri potuisse demonstrent hae particulae, potentiales a nonnullis sive *δυνητικαὶ* vocantur. „*Τούτους δυνητικοὺς καλοῦσιν, ὅτι τὴν τοῦ δύνασθαι ἔννοιαν δηλοῦσιν.*“ Schol. ad Dion. p. 974, 28. Cf. Apoll. de synt. III, 6. p. 205. B.

14.

De rationalibus conjunctionibus.

In hac specie veteres omnes eas conjunctiones posuerunt, quae ad conclusionem aliquam vel ex assumtis propositionibus vel ex argumentis allatis

efficiendam adhibentur. „Ὅσοι πρὸς τὰς ἐπιφοράς τε καὶ συλλήψεις τῶν ἀποδείξεων εὖ διάκεινται“ Sed quum modo ad conclusionem ipsam efficiendam, modo ad inferendas propositiones adhiberentur, diversis nominibus a grammaticis appellatae sunt. Unde fit, ut sint proprie συλλογιστικαὶ eae conjunctiones, quae in argumentationibus summam efficiant omnium argumentorum, veluti in his: ἔχεις μου πέντε δραχμάς, ἔχεις δὲ καὶ τρεῖς, ἔχεις ἄρα ὀκτὼ δραχμὰς, ἔχεις τοίνυν ὀκτὼ δραχμάς.“ Apoll. de conj. p. 519, 31. B. Jam vero Stoici, quum his particulis eam vim inesse viderent, ut ad λήμματα vel sumtiones saepe τὰς ἐπιφορὰς sive illationes, ut Latini dicunt, adderent, ἐπιφορικὰς eas vocarunt; quare Priscianus illativas eas nominat. „Dicuntur hae quoque illativae, quod propositis aliis inferuntur.“ Cujus rei exemplum apud Apollonium exstat de conj. p. 519, 25 B. „Ἀλλὰ μὴν ἡμέρα ἐστί, φῶς ἄρα ἐστί, τοιγαροῦν φῶς ἐστί, φῶς τοίνυν ἐστίν. Similiter ex Stoicorum arte dialectica nomen invenerunt προσληπτικοὶ σύνδεσμοι, ut δέ γε, ἀλλά, ἀλλὰ μήν*). Cf. Apoll. de

---

*) Ἀθροιστικὰς quoque illas conjunctiones Lerschius (l. l. II, 140.) vocat, graece vertens, ut videtur, Prisciani illud „collectivae conjunctiones.“ Quod vocabulum hoc quidem sensu apud veteres non invenisse me fateor. Immo ἀθροιστικοὺς συνδέσμους Apollonius copulativas vocat. (de synt. II, 14, p. 122. B.) Fortasse συναθροιστικαὶ nominatae sunt, ut ex schol. ad Dion. p. 970, 7, B. conjicere licet: „Συλλογιστικοί, ὅτι συνάγουσι τοὺς λόγους ἢ ὅτι συναθροίζουσιν ἀριθμητικῶς.“

conj. 518, 10 B. Omne igitur hoc conjunctionum genus communi συλλογιστικῶν συνδέσμων nomine designatum est.

15.

De dubitativis conjunctionibus.

Dubitativas veteres omnes eas conjunctiones vocarunt, quibus, dubitantes et haerentes, quid faciendum sit, uti solemus; vel, ut Dionysius docet, „οἷς ἐναποροῦντες εἰώθαμεν χρῆσθαι." Cf. pluribus de his differentem scholiastam ad Dion. p. 969. B. Annumerat autem huic speciei Dionysius ἆρα, κᾶτα, μῶν particulas, iisque Apollonius addit ἦ et ἠὲ particulas, ut in Homerico illo:

ἠὲ χόλον παύσειεν ἐρυτήσειέ τε θυμόν.

16.

De expletivis particulis.

Pervenimus ad eam speciem, quam, etsi variae de ea magnaque ex parte absurdae ferebantur apud veteres sententiae, a societate tamen conjunctionum et consortio removisse nemo grammaticorum videtur. Nam et Dionysii Thracis definitio, quum duabus ex partibus constet, posteriore parte has particulas complectitur: et Apollonii, ut videtur, emendatio, quum ad priorem tantummodo Dionysianae definitionis partem pertineat, de posteriore nihil addat, tacite consentit. Huc accedit, quod scholiastae

una voce et disertis verbis has particulas in conjunctionum numero ponere non dubitaverunt.

Priusquam autem de earum vi ac natura, qualis veteribus visa sit, disseramus, operae pretium videtur, eam definitionem memorare, ex qua apparet, quam stupide quamque inepte disciplinae Constantinopolitanae grammatici in Dionysii grammatica interpretanda studiosaeque Byzantinae juventuti tradenda versati sint. Dicit enim scholiasta ad Dion. p. 970, 24 B: „Παραπληρωματικοὶ δὲ οὗτοι λέγονται, ὅσοι παρόντες οὐδὲν ὠφελεῖν δύνανται, οὔτε μὴν χωρισθέντες λυμαίνονται. οὗτοι δὲ παραλαμβάνονται τοῖς ποιηταῖς ἢ διὰ τὴν στενότητα ἢ διὰ καλλωπισμὸν τῆς φράσεως.“ Qua definitione quid ineptius, quid absurdius, quid ab omni non solum linguae universae, sed etiam verborum natura remotius? Verumtamen tantum abest, ut omnes veteres homini illi obscuro assenserint ejusque definitionem tanquam rectam et veram receperint, ut alii, si minus recte, at tamen melius hoc Byzantinae scholae magistro judicaverint. Quorum in numero Dionysius Thrax habendus est, qui metri et ornatus caussa has particulas adhiberi dicit. Quem secutus est Priscianus, (lib. XVI p. 1045 Putsch.) „Completivae sunt, quaecunque ornatus caussa vel metri, nulla significationis necessitate ponuntur.“ Sed quomodo illud fieri potest, ut, quae vocabula necessariam et propriam significationem nullam contineant, metri caussa vel ad ornatum orationis adhibeantur? Qui enim intimam verborum naturam perspectam habet, illud nunquam poterit con-

cedere, particulas aliquas apud scriptores imprimisque poetas ornatus sive metri gratia, omni nudatas significatione, adhiberi. Quod nec fieri per rerum naturam potuit unquam, nec factum est usquam. Verumtamen illam opinionem vulgo probatam fuisse ac prae ceteris receptam, ex Praxiphanis*) de harum particularum natura judicio apparet, quod apud Demetrium est in libro de elocutione p. 57. „Καθόλου γάρ, ὥσπερ ὁ Πραξιφάνης φησίν, ἀντὶ μυγμῶν παραλαμβάνονται οἱ τοιοῦτοι σύνδεσμοι, ὥσπερ τὸ αἶ αἶ καὶ τὸ φεῦ.“ Sicuti enim histriones, ubi nihil omnino ad rem est, vociferationibus istis αἶ αἶ vel φεῦ, tanquam κεναῖς προσθήκαις ad explendam vel ornandam orationem uti solere, ita has particulas metri vel ornatus gratia adhiberi, omni nudatas significatione. Atque in eundem errorem delapsus est etiam Matthaeus Devarius, quamquam omnem Graecae linguae particularum doctrinam, ut temporibus illis, copiose docteque est persecutus.

Sed ex veteribus omnibus nemo fuit, qui aut rectius de hoc verborum genere judicaret aut accuratius in ejus naturam inquireret, summo illo grammatico, qui jam Prisciano visus est omnium antecedentium grammaticorum errores purgasse. Apollonii enim de his particulis expositio haec est. Primum enim, refutata ceterorum grammaticorum, qui exple-

---

*) Cf. de Praxiphane, qui grammaticae nomini decus et dignitatem attulisse fertur, Prellerum in Lect. Univ. Dorpat. an. 1842 p. 22 ff.

tivas nihil omnino significare dicunt, opinione, contrariam obtinet sententiam, ut omnibus etsi persaepe obscuram, at aliquam tamen notionem inesse contendat: „Οὐ γὰρ ἀληθές ἐστιν, ὥς τινες ὑπέλαβον, μόνον αὐτοὺς ἀναπληροῦν τὸ κέχηνος τῆς ἑρμηνείας.“ De synt. III. 28. p. 266 et alibi. Statuebat enim, quibuscunque verbis ad exprimendas sententias utimur, ea propria ac peculiari significatione in orationem induci. Itaque δὴ particulam circumscriptionem (περιγραφήν), γὲ imminutionem (μείωσιν), πὲρ vim adversativam cum amplificatione (ἐναντιότητα μετ᾽ αὐξήσεως ἐμφατικῆς), et reliquas eodem modo propriam suam vim continere docet. Cf. de synt. III, 28. p. 266, de conj. p. 516 B. Nihilo tamen minus Apollonius, quum a praeoccupata ceterorum grammaticorum opinione divellere animum non posset, expletivas affirmat multo frequentius abundare, quam propriam suam vim servare. „Οἱ μέντοι παραπληρωματικοὶ σύνδεσμοι καλούμενοι τὸ πλέον πλεονάσαντες ἤπερ δηλοῦντες, τὴν ὀνομασίαν ἔσχον.“ Qua opinione inductus, γὲ particulam in his;

οὗτός γ᾽ Ἀτρείδης, εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων,

prorsus abundare dicit, eamque abundantiam plane utilem esse et accommodatam ei orationis generi, quo poetae soleant uti. Quamobrem quum fieri non posset, ut a propria vi et significatione, utpote diversissima in singulis particulis, nomen acciperent, necesse fuisse, ut propter eam, quae omnibus communis omniumque persaepe propria esset, abundantiam παραπληρωματικαὶ vocarentur. „Κοινὸν οὖν παρ-

είπετο αὐτοῖς τὸ πλεονάζειν καὶ ἐκ τοῦ κοινῶς παρεπομένου τὸ ὄνομα ἀπεδέξαντο."

Sed de expletivis particulis qui meliora doceret rectiusque judicaret, veterem grammaticum neminem inveni. Annumerat autem Dionysius iis δή, ῥά, νύ, ποῦ, τοί, θήν, ἄρ, δῆτα, πέρ, πώ, μήν, ἄν, αὖ, οὖν, κέν, γὲ particulas.

VITA.

Ego Carolus Fridericus Jahn Neo-Ruppini, Marchiae oppido, die Novembris decimo et quarto, a. MDCCCXXII. natus sum. Pater mihi Frid. Jahn sutor, mater Sophia Borchhardt. Litterarum rudimentis usque ad quartum decimum aetatis annum oppidana disciplina imbutus, quum in eo essem, ut de eligenda vitae ratione cogitarem, gymnasium in patria urbe tum sub auspiciis Directoris Dr. Starkii florens adii. Quod postquam septem annos, Starkii imprimis ceterorumque praeceptorum disciplina et benevolentia adjutus, frequentavi, litteris antiquis, quibus me addixeram, operam daturus Berolinum profectus sum. Ex theologis ibi Ill. Neandrum adii singulis lectionibus, ex philosophis autem praeter Ill. Zumptium, Ill. Bekkerum, Ill. Ritterum, Ill. Stuhrium, Cel. Curtium, Ill. Boeckhii imprimis auditor fui, quum antiquitates Graecas doceret.

Post annum Gryphiam me contuli. Ibi in civium academicorum numero a Rectore Magnifico Ill. Huenefeldio receptus, studium ejus disciplinae, cui me addixi, philologiae constanter persecutus sum. Ex praeceptoribus autem, quorum ibi disciplina institutus sum,

nominandus imprimis est Schoemannus, V. Ill., qui et quotidiana institutione studiorum meorum cursum magis magisque confirmavit, et summa benevolentia et comitate exceptum me ita adhortatus est, ut nec nominare sine summa reverentia illum audeam. Cujus benignitate in seminarium philologicum, quod dirigit, receptus, communibus sodalium excercitationibus per biennium interfui. Neque vero praetermittenda est Bartholdi, V. Ill., erga me humanitas, quem virum propter ingenii et doctrinae praestantiam et animi liberalitatem, cujus persaepe mihi vel luculentissima praebuit documenta, grata memoria semper tenebo. Sed pio gratoque animo veneror et in posterum veneraturus sum Ott. Jahnium, V. Ill., quem praeceptorem uberrima doctrinae copia secunda mihi fortuna conciliavit, cujusque benignitatem, saepissime mihi praestitam, facere non possum, quin pie memoria repetam. Praeterea Ill. Vogtium de dogmatica, Ill. Semichium de historia ecclesiastica disserentem audivi. Philosophicis autem scholis Ill. Stiedenrothii et Ill. Mathiesii interfui; paedagogicis Cel. Haserti; comparativam autem grammaticam edocuit me Ill. Hoeferus.

In conscribenda hac dissertatiuncula magnopere me adjutum esse quum eximia Schoemanni, praeceptoris venerabilis, liberalitate et consilio, quod nunquam mihi defuit, tum Ott. Jahnii, V. Ill. humanitate, qui ex egregia, qua ipse utitur, bibliotheca permulta opera large et liberaliter mihi praebuit, ingratus sim si dissimulem.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Errant qui in philologia linguarum vim hanc esse solam contendunt, ut ad reliquas disciplinas viam aperiant.

II.

Quod nonnullis placet: Tacitum in conscribenda Germania hoc potissimum sibi proposuisse, ut Romanis exemplar ante oculos poneret, secundum quod lapsos suos mores emendarent, minus probabiliter dictum esse persuasum habeo.

III.

Gentiles apud Romanos prioribus reipublicae temporibus cognati inter se erant.

IV.

Quod Niebuhrius vult: nomen „consul" idem significare quod vocabulum „collega," argumentis justo infirmioribus mihi videtur esse stabilitum.

V.

Recentioris aetatis historia non potest a medii aevi memoria nisi compluribus, quae sub idem tempus evenerunt, rebus conjunctis discerni.

